



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 57. An aliquando sit gravis obligatio corripendi solos defectus
subditorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

Q. 56. Si verba non juvent, an debeat vel possit 212
proximus aliter corrigi. R. Si sit subditus, potest & debet à Superiore corrigi, etiam pœnis aliisque modis coactivis: si autem non sit subditus, etiam licitum erit ipsi aliquam vim amicam adhibere, v. g. occultare gladium, subducere pecuniam aliaque peccandi instrumenta, uti docent *S. Antoninus, Nav. Mol. Lug. de Just. d. 2. n. 33.* non videtur tamen licitum absolutam vim inferre, v. g. ligare vel includere, quia hæc est excessiva usurpationis jurisdictionis: Excipe, nisi adesset causa proportionata, uti si cogitaret inferre grave malum Reipublicæ, Superioribus vel familiæ, tum enim liceret, & quandoque, sed rarò, esset obligatio sic impediendi, ita *Lug. n. 34.*

Q. 57. An aliquando sit etiam gravis obligatio 213
corripiendi solos defectus Subditorum. R. De hoc videri potest *Lug. de Just. d. 9. à n. 21.*, hoc enim concernit plerumque solos Superiores Religiosos.

Q. 58. An sit obligatio corripiendi eum, qui ex 214
ignorantia peccat. R. Si ignorantia sit vincibilis, utique est obligatio, nam ignorantia illa non excusat à peccato: si autem ignorantia sit invincibilis, *Bonac. in Dec. d. 3. q. 4. p. 7. n. 11.* absolute docet non esse obligationem, siue sit ignorantia juris siue facti, quia tantum tenemur corrigere peccatum proximi, proximus autem tum non peccat: Excipit tamen ipse cum aliis omnibus, nisi ex officio alicui incumbat monere & instruere, v. g. quia est Pastor, Confessarius: Item, nisi inde oriretur damnum tertii, vel ignorantis ipsius, aut scandalum, aut irreverentia in Deum vel Religionem. Alii Authores distinguunt, si

M

enim